



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

2. Quare Christus communiter sanauit sabbatho, & fecit miracula.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

quoniam nolebāt se defendere sabbatho nec pugna-
re ludæi, adeò vt tandem coacti sint cōcludere, vt die
sabbathi se defenderent contra Gentiles, 1. Machab.
2. Hoc ita trahebant Pharisei ad falsum intellectum,
vt si quis opere aliquo manuum perfecisset aliquid,
is violasset sabbathum: & si quis solùm à tali opere
cessaret, hic seruaret sabbathū. Sic arguunt ijdem sa-
natum circa piscinam, quòd tollebat sabbatho lectū
suum, Ioan. 5. Solam violationem sabbathi trahe-
bant ad opera manualia &cæt. nihil ampliùs cogitan-
tes de audiendo verbo Dei, oratione, eleemosyna,
aut vt abstinerent ab ebrietate, luxuria, auaritia &c.
Sic ex falso intellectu arguebant Christum, quòd sab-
batho rangebat infirmos, id est, fecit lutum, & lini-
uit oculos cæci, Ioan. 9. dicentes: Hic homo non est à
Deo, quia sabbathum non custodit &c.

Secundò, quia lex non iubet tantùm quiescere, sed
iubet vacuum diem sanctificare, id est, præcipit ope-
ra necessaria ad illustrandam & propagandam gloriã
Dei: ideò Christus sabbatho curauit infirmos, sicut
Ioann. quinto, de sanato circa piscinam habetur, &
Ioan. 9. de cæco nato, ibi gloria D E I propagabatur:
Ideò hæc opera quæ illustrent Dei laudem, non vio-
lant sabbathum. Et quoniam Pharisei putabant vio-
latum sabbathum, quòd Christus manu tetigit infir-
mos, & liniuit oculos cæci, faciens lutum &c. ideò
defendit se Christus, & manu tangit infirmos, quos
etiã solo verbo potuisset curare, ostendens hoc non
violare sabbathum: vbi gloria Dei redditur illustrior
& charitas erga proximum exercetur. Vnde etiã ma-
ximè arguit eos, quòd ipsi Pharisei sabbatho bouem
de fœua extraxissent, & putant tamen nō violatum
sabbathum, Matt. 12. Luc. 14. Ipsum repræhendentem
quòd curaret infirmos in sabbatho, & ipsi Pharisei
soluunt boues de præsepi, & ducunt potum ad aquas,
Lucæ 13. & arguunt CHRISTVM quòd liberet
O 4 homi.

hominem, & soluat vinculis Sathanæ ligatum. Necessitas ergò non violat sabbathum, sicut Christus exponit Matth. 12. & excusat suos discipulos, qui spicas vellebant sabbatho ad manducandum, quia esuriebant; ibi necessariò dispensabat de lege sabbathi. Sic comedit David panes consecratos, quod non licebat nisi Sacerdotibus, 1. Reg. 21. ibi quoque necessariò dispensabatur. Sic sacerdotes mactabāt sabbatho animalia in templo, & violabant sabbathum, idq; sine crimine: Non hoc legistis in lege, inquit Christus ad Phariseos Matt. 12? Igitur necessitas dispensat, sicut tamen vt dispensatio sit, & non abrogatio legis: sed vt cæremonia non impediatur propter officium verbi, aut alio tempore conseruetur. Officia igitur & opera, quæ non sunt mali exempli, diebus festiuis non sunt reprehendenda, modò ministerio publico suum conseruetur honor.

3. Tertiò, omnis lex tam Dei quàm hominis, exponitur atque exigi debet, iuxta regulam dilectionis proximi, id est, si obseruatio alicuius legis est contra charitatem proximi, non tenemur obedire legi: est enim charitas proximi maior & potior lege, sicut Christus inquit Mat. 12. Si sciretis quid est hoc Osee 6. cap. Misericordiã volo, non sacrificium: nunquàm condemnassetis innocentes. Ideò si charitas exigitur, debet lex cedere. Sed officia & dilectionis opera superiora sunt cæremonijs & sabbatho. Sic Moyses per annos quadraginta nõ circuncidebat filios Israël in deserto iuxta præceptum Dei Genes. 17. Omne masculinum genus circuncidetur: nam ibi necessitas & charitas dispensabāt, quòd cogebantur ambulare in armis, & pugnare contra gentes, vt essent validiores. Sic Christus sabbatho sanat manū aridam, Mat. 12. Debet itaque charitas esse regula legis: Sic enim dicit Apostolus Roma 13. Dilectio est impletio legis: & nihil cuiquam debeat, nisi vt inuicem diligatis.

Le